

modum subjecti vel principii *quod*, quia nempe ipsum, nullo alio subjecto medio intercedente, operatur per virtutem suæ naturæ (1). Unde vides iterum Majorem esse falsam in sensu ab adversariis intento.

Objic. 6.<sup>o</sup> Si sola voluntas v. g. concurreret ad actus liberos, sola voluntas, non vero anima ipsa, mereretur vel peccaret. Atqui non voluntas, sed anima, vel potius homo, meretur vel peccat. Ergo...

Respondeo *dist.* Major. Si sola voluntas concurreret ad actus liberos instar suppositi vel naturæ cujusdam, *trans.* Si sola voluntas concurreret instar instrumenti et adequatæ virtutis volitivæ animæ vel hominis, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.: resque satis patet ex superius explicatis.

Objic. 7.<sup>o</sup> Anima libere amat vere ac proprie. Atqui non potest vere ac proprie amare libere, nisi immediate influat in amorem per suam substantiam. Nam nisi immediate influat, non determinat amorem v. gr. præ odio vel omissione amoris, et consequenter nec libere et imputabiliter amat. Et proba, quia si non immediate influat anima, solum radicatur potentiam volitivam. Sola autem radicatio potentiæ volitivæ non sufficit ad determinandum amorem præ odio vel omissione amoris, cum utrumvis æque sequi possit ex eo, quod voluntas radicetur in animæ substantia. Confirmatur, quia si anima non immediate influere debeat, non potest pro lubito suspendere vel impedire amorem vel odium. Ergo nec potest libere aut amare aut odisse (2).

Respond. *neg.* Minor. et probationem ejus. Potentiæ namque vitales, ac nominatim voluntas, non sunt supposita quædam operantia, sed mere instrumenta naturalia animæ, quarum ope faciat quidquid, si ipsa posset immediate operari, per seipsam operaretur, nec potest de facto operari, quia non est per suam substantiam operativa. Itaque sicut si absque adminiculo potentiarum operaretur, procul dubio ipsa met determinaret amorem præ odio vel omissione amoris, ita nunc, quamvis media voluntate operetur, ipsa anima determinare dicenda est, quia voluntas est præcipua virtus

(1) Vide *Ontolog.*, num. 300, pag. 878 seqq.

(2) Vide Lossada, loc. cit., num. 12, 13.

indita sibi a natura, ut prædictam determinationem vel aliam quamcumque perficiat. Et sic potentiæ ita radicantur in anima, ut non solum dependeant ab illa in *essendo*, verum etiam in operando, et si sermo sit de operationibus liberis, ipsa possit eas cohibere vel ponere, vel facere, ut sint vel non sint pro lubito suo, non quidem per aliam præviam actionem, sed per eandem potentiam, quia non est alia actio animæ, quam actio potentiæ. In quo equidem non video quid sit, quod repugnet; non enim capio, quodnam sit incommodum in eo, quod anima per virtutem sibi natura ipsa datam ad operandum et per operationem hujus virtutis efficacitate ab ipsa elicita, nequeat vere ac proprie dici libere amare, vel amorem præ odio eligere.—His continentur præcipua argumenta, quibus multi scriptores conati sunt immediatum animæ influxum in operationes vitales adstruere: cætera facile possunt ex præmissa hic doctrina dissolvi.

### ARTICULUS III.

Quid et quotuplex sit potentia, et quo pacto ab anima procedat; item quænam sint illius causæ.

Ex hactenus probatis haud erit operosum cætera statuere, quæ ad complementum doctrinæ de potentiis animæ pertinent. Et primo quidem declaranda venit ipsa ratio vel notio potentiæ.

#### § I. — QUID SIT ANIMÆ POTENTIA.

46. Potentiam in *Ontologia* (1) distinximus in logicam vel objectivam et realem. Potentia logica est possibilitas rei: et per se patet potentiam animæ, de qua sola nobis est sermo, non esse ejusmodi, sed potentiam realem, eamque, quæ sit principium effectivum vitalium operationum. Definiri proinde generatim potest: *principium proximum et con-*  
Definitur  
vitalis potentia.  
*naturale vitalium operationum.* Dicitur *principium proximum,*

(1) *Ontolog.*, num. 207, pag. 592, 595.

ad distinctionem ipsius substantiæ animæ, quæ est principium primum et principale. Potentia enim est virtus accidentalitatis, qua operatur anima, ac proinde est principium quo immediatum et secundarium operationum vitalium. Dicitur *connaturale*, ut excludantur ab ea definitione tum habitus, tum species intentionales, verbo, quævis alia præsidia, quibus iuari anima possit ad actus suos exercendos. Potentia siquidem est principium natura insitum, per se invariabile ac permanentiter se habens ex parte substantiæ viventis; at species non sunt naturaliter innatæ, ac præterea se tenent ex parte objecti, ut suo loco explicabitur; habitus etiam connaturales non sunt, sed vel actuum repetitione comparantur, ut habitus naturales seu non supernaturales, vel infunduntur a Deo, si sermo sit de supernaturalibus; et utrique naturaliter amittuntur absque miraculo, secus atque potentia, quibus solum per divinam omnipotentiam spoliari anima vel vivens potest. Ut ergo exprimeretur, nomine potentia proprie venire principia naturalia facultatesve aut vires ingenitas, per quas anima operatur, non vero virtutes adventitias ac variabiles, vocabulum illud *connaturale* addendum in definitione fuit. Unde potentia sunt reapse proprietates animæ inseparabiles (1); suntque in prædicamento *Qualitatis*. Denique per ultima verba definitionis differunt potentia a quibuslibet aliis qualitatibus, etiam permanentibus, quæ non sint principia vitalium operationum.

Potentia sunt naturales proprietates.

Potentia animæ quædam activæ et quædam passivæ.

Quamvis potentia animæ sint omnes principia quædam activa operationum vitalium, nihilominus in speciali aliquo sensu dividi solent in *activas* et *passivas*, pro diverso nempe modo, quo se habent respectu sui objecti: *Non enim distinguitur*, inquit Angelicus, *potentia activa a passiva ex hoc, quod habet operationem, quia cum cujuslibet potentia animæ tam activæ, quam passivæ, sit operatio, quælibet potentia esset activa. Cognoscitur autem eorum distinctio per comparisonem potentia ad objectum. Si enim objectum se habeat ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa; si autem e converso se*

(1) Vide S. Thom. *Q. disput.*, quæst. *de Anim.*, art. 12, ad 1.<sup>am</sup> et 7.<sup>am</sup>; et art. 19, init.; *de spirit. creat.*, art. 1, vers. fin. corp. et ad 5.<sup>am</sup>; 1 p., quæst. 77, art. 1, ad 5.<sup>am</sup>

*babet, ut agens et movens, sic erit potentia passiva. Et inde est, quod omnes potentia vegetabilis animæ sint activæ, quia alimentum transmutatur per potentiam animæ tam in nutriendo, quam in generando; potentia sensitivæ omnes sunt passivæ, quia per sensibilia objecta moventur (immissis videlicet speciebus), et fiunt in actu (nempe determinantur ad actum sensationis eliciendum). Circa intellectum vero aliqua potentia est activa, aliqua passiva; eo quod per intellectum intelligibile in potentia sit intelligibile in actu (cum nimirum abstrahitur species intelligibilis), quod est intellectus agentis; et sic intellectus agens (virtus abstractiva speciei) est potentia activa. Ipsum etiam intelligibile in actu (i. e. species, cujus ope aliquid fit actu intelligibile) facit intellectum in potentia esse intellectum in actu (videlicet species facit, ut intellectus, qui prius habebat virtutem dumtaxat et potentiam intelligendi, habeat, accepta determinatione et complemento speciei, actualem intellectionem); et sic intellectus possibilis (virtus intellectus cognoscitiva objecti) erit potentia passiva (1). Potentia itaque activæ respiciunt objectum tamquam finem efficiendum, vel tamquam materiam, circa quam operantur: tales sunt vegetativæ; at potentia passivæ respiciunt objectum tamquam principium motivum earum ad operandum, et huiusmodi sunt potentia sensitivæ (2); intellectus vero, prout utramque complectitur virtutem, productivam speciei et cognoscitivam objecti, potest dici potentia mixta ex activa et passiva.*

Potentia animæ dividuntur etiam in organicas vel materiales et inorganicas vel spirituales aut immateriales, prout sunt vel non sunt actus organi: vegetativæ ac sensitivæ sunt organica, intellectus et voluntas inorganica, ut suo loco probabitur. Verum illa est celeberrima divisio, qua potentia dividuntur in vegetativam, sensitivam, locomotivam, appetitivam et intellectivam. Quæ divisio prius quam declaratur, investigandum est,

Potentia organice et inorganice.

(1) S. Thom., *de Verit.*, quæst. 16, art. 1, ad 31.<sup>am</sup> Cfr. *de Virtutibus*, quæst. 1, art. 1.

(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 77, art. 1; *de Anim.*, lib. 2, lect. 6, paragr. d.

## § II.—UNDENAM SPECIFICENTUR POTENTIÆ.

Undenam  
specificentur  
potentiæ.Status  
questionis.

47. Potentias non solum ab anima, sed etiam inter se, realiter distingui probavimus in primo hujus capituli articulo; eamque distinctionem a posteriori ex diversis capitibus derivavimus. Primo enim aliæ sunt actus organi, ut sensitivæ ac vegetativæ, aliæ non sunt actus organi, sed spirituales, ut intellectus et voluntas. Præterea organicarum inter se distinctionem conclusimus ex earum, sive quoad locum sive quoad existentiam, separabilitate; cognoscitivas autem et appetitivas diversificari ostendimus ex diversissimo, quem habent, tendendi modo ad idem objectum. Quas omnes distinctiones non pure numericas, sed vel specificas vel genericas esse satis, opinor, demonstrat diversitas actuum, quos singulæ potentiæ eliciunt; si enim omnes forent ejusdem speciei, cur non omnes possint eodem modo operari? Ordo itaque ac ratio scientiæ postulat, ut principium generale investigemus, unde potentiæ suam distinctionem formalem vel specificam desumant. Qua in re Scholastici communiter tenent cum S. Thoma (1) specificationem potentialium desumendam esse ex actibus et objectis, ita nempe ut potentiæ immediate specificentur ex actibus et mediate ab objectis, quatenus actus ipsi specificantur per objecta. Idemque putatur a plurimis (repugnantibus tamen aliis) (2) sensisse Aristotelem, cum scripsit ad declarandam naturam potentiæ intellectivæ, sensitivæ aut vegetativæ, prius dicendum esse, *quidnam sit intelligere, et quidnam sentire; nam operationes actionesque potentis priores sunt ratione* (potentiæ namque per actus definiuntur). *Quod si aulem ita sit, ac prius etiam objecta, quam ista (nempe actus), contemplari oporteat, primum de illis (de objectis potentialium) propter eandem causam, ut de alimento, de sensibili, ac de intelligibili, determinare*

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 3; *Q. disp.*, quæst. de *Anim.*, art. 13; 2.<sup>o</sup> dist. 44, quæst. 2, art. 1; de *Anim.*, lib. 2, lect. 5 init., et lect. 6, paragr. d.

(2) Vide Mastrium (de *Anim.*, disp. 2, quæst. 4, num. 56). Cfr. Joann. Martinez de Prado (de *Anim.*, quæst. 15, paragr. 1).

*oportebit* (1). Quamvis autem in hoc unanims est Scholasticorum consensus, sicut etiam in eo quod nec actus per objecta, nec potentiæ per actus specificentur tamquam per intrinsecas earum differentias, quia nihil distinctum realiter a re aliqua potest esse intrinseca differentia naturam et speciem ejus constituens, ut per se liquet: nihilominus est non leve dissidium circa modum, secundum quem potentiæ dicendæ sunt specificari per actus et objecta. Nam quidam ajunt potentias distingui per actus a posteriori tantum tamquam per effectus. Ita Philoponus, quem sequitur Paulus Venetus, Apollinaris, Jandunus, Cajetanus Thienensis (2), et alii. Idemque volunt Scotistæ dicentes cum Subtili Doctore potentias specificari per actus et objecta solum extrinsece et manifestative vel quoad nos, quatenus videlicet notior est nobis distinctio specifica objectorum, quam actuum, et actuum, quam potentialium, ac proinde cognita objectorum et actuum distinctione veniamus in cognitionem distinctionis potentialium. Intrinsece namque solum possunt specificari potentiæ ex suis propriis et intrinsecis prædicatis, cum sint entitates absolutæ de prædicamento *Qualitatis* (3). Alii concedunt potentias distingui per actus a priori, non tamen ita ut intrinsece per illos specificentur, sed solum extrinsece, nempe in genere causæ finalis et efficientis. Quæ sententia tribuitur Hervæo (4). Alii demum tenent potentias specificari a priori, vel «distingui per actus intrinsece et essentialiter, non quod ipsi actus et objecta sint differentie intrinsece constituentes potentias, sed quod in coaptatione ad actus et objecta consistat intrinseca differentia specifica et distinguens potentias» (5). Hæc est D. Thomæ sententia (6), aliorumque veterum, eaque communis inter Thomistas (7).

(1) Aristot., lib. 2 de *Anim.*, cap. 4, text. 33. In quem locum vide S. Thomam, lect. 6, paragr. d, aliosque interpretes; et Joann. Martinez de Prado, loc. nuper citato.

(2) Apud Suar., de *Anim.*, lib. 2, cap. 2, num. 3.

(3) Vide Mastrium, de *Anim.*, disp. 2, quæst. 4, num. 48 seqq.

(4) Apud Suarez, loc. cit.

(5) Suarez, ibid.

(6) Locis superius citatis.

(7) Vide Cord. Cajetanum et Bañez In (1.<sup>am</sup> part. quæst. 77, art. 3), Ferrariensem (In lib. 4.<sup>am</sup> *Contr. Gent.*, cap. 24, *Pro hujus*),

Dissidia  
vixit  
sententiam.

Quaedam  
difficultates  
preponantur.

ac defenditur a nostris, Card. Toletio (1), Suarez (2), Rubio (3), Conimbricensibus (4), Soarez lusitano (5), aliisque. Habet tamen sententia hæc quasdam difficultates. 1.<sup>o</sup> enim actus sunt potentiis posteriores, objecta vero sunt iisdem valde extrinseca. Quo autem pacto possit aliquid a priori specificari per aliud posterius, vel intrinsece per aliquid extrinsecum? 2.<sup>o</sup> Id quod constituit rem in sua specie atque ab aliis distinguit, debet esse unum quiddam et indivisibile. Atqui actus et objecta, ad quæ una eademque potentia terminatur, sunt innumera et diversa. Ergo impossibile est ex iis potentias suam sumere unitatem vel distinctionem specificam. 3.<sup>o</sup> Specificativum debet esse unum. Ergo potentia nequeunt specificari ab actu et objecto, sed ab alterutro, vel a neutro, si non sit ratio, cur magis ab uno, quam ab altero, specificentur. 4.<sup>o</sup> Si potentia distinguuntur per objecta, nec posset idem objectum ad plures potentias, nec plura objecta ad eandem potentiam pertinere. Atqui sæpe unum objectum ad diversas potentias pertinet, v. g. idem color a sensu, phantasia et intellectu percipitur, idem realiter objectum, ratione solum distinctum, ab intellectu et voluntate terminatur; et e converso ad eandem potentiam visivam pertinent diversi colores. 5.<sup>o</sup> Similiter si per objecta potentia specificentur, omnes potentia, quæ idem respiciunt objectum, ejusdem erunt speciei, puta visus hominis et leonis aut equi, et intellectus angeli et hominis: quod videtur concedi non posse. 6.<sup>o</sup> Duæ res diversæ speciei nequeunt habere idem specificativum. Atqui habitus, qui certe distinguuntur a potentiis, distinguuntur specificè inter se etiam per actus et objecta: idemque dicendum est de ipsis habitibus, qui quamvis distinguantur a potentiis, specificantur tamen ab actibus. Ergo aliud sit specificativum

Joann. Martinez de Prado (*de Anim.*, lib. 2, quæst. 15), Joann. a S. Thoma (*de Anim.*, quæst. 2, artic. 3), Complutenses Carmelitanos (*de Anim.*, disp. 7, quæst. 1).

(1) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 8.

(2) *De Anim.*, lib. 2, cap. 2.

(3) *De Anim.*, lib. 2, tract. *de Potent. Anim.*, quæst. 8.

(4) *De Anim.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 5.

(5) *D. Anima.*, tract. 2, disp. 1, sect. 4.

potentiarum, oportet (1). 7.<sup>o</sup> Si potentia specificarentur per objecta, non posset eadem potentia attingere contraria; nam contraria sunt ea, quæ maxime inter se differunt. Atqui tamen eadem potentia attingit contraria, sicut v. gr. visus album et nigrum, et gustus dulce et amarum. Ergo potentia non specificantur per objecta.—Ut tota hæc controversia plene tractetur, et enodetur, statuitur sequens

48. PROPOSITIO. *Potentia specificantur per actus et objecta, et quidem intrinsece; non tamen per objecta materialia, sed per formalia.*

*Probatur prima pars: Potentia specificantur per actus et objecta; circa quam nulla est controversia.* 1.<sup>o</sup> Nam videmus potentias realiter distinctas ordinari de facto ad diversos actus, oculus nempe ad *videndos* colores, aures ad *audiendos* sonos, etc. 2.<sup>o</sup> Præterea actus se habent instar effectus potentiarum. At ex effectu adæquate diverso recte colligi potest causæ diversitas. Ergo ex actu etiam unitate vel diversitate specifica jure colligitur unitas vel diversitas potentia. 3.<sup>o</sup> Idipsum confirmatur ex instrumentorum artificialium analogia; nam potentia sunt naturalia animæ instrumenta ad operandum vitaliter. In artibus instrumenta distinguuntur pro diversitate actionum et operum, quibus perficiendis destinantur (2).

Et hæc quidem valeant generatim de specificatione potentiarum per actus; quod autem potentia mediate specificentur etiam per objecta, ex eo constat, quod actus ipsi speciem sortiantur ab objecto, ad quod terminantur. Cujus rei ratio proportionem est eadem; etenim actus potentiarum, prout potentia sint passivæ vel activæ, respiciunt objectum vel tamquam principium et causam moventem, vel tamquam terminum et finem attingendum, ut superius explicuimus ex Angelico Doctore. Atqui ostendimus in *Ontologia* cum S. Thoma actiones specificari ex principio et termino. Ergo... (3). Pro actibus porro cognitionis revocari possunt

(1) Apud Suarez, loc. cit., num. 1, ubi plura.

(2) Suarez, loc. cit., num. 2.

(3) Vide *Ontolog.*, num. 359, 360, pag. 1043 seqq. Cfr. *Cosmolog.*, num. 260, pag. 1027.

Potentia  
specificantur  
per actus et  
objecta.

in mentem allata in *Logica* argumenta pro specificatione scientiarum ex objecto (1). Idem denique colligitur ex actibus moralibus; etenim actus sunt honesti vel inhonesti in magna specierum varietate pro diversa objecti conditione (2). Verum modus jam hujus specificationis definiendus est, in quo discrepant auctorum sententiæ, ut nuper retulimus.

et quidem  
non extrinsecæ,  
sed intrinsecæ,

**Secunda pars:** *Potentia specificantur per actus et objecta, non extrinsecæ, sed intrinsecæ et a priori.* Idque colligitur 1.<sup>o</sup> ex argumentis nuper factis. Nam specificatio, quæ desumitur per ordinem ad finem est specificatio a priori, nam finis habet rationem causæ, et est prior, saltem in ordine intentionis, re, quæ ad finem ordinatur. Atqui potentiæ ordinantur ad actus et objecta tamquam ad finem. Ergo specificatio potentiarum per actus et objecta est a priori. Et simili modo probatur, quod sit specificatio intrinseca. Etenim si potentiæ natura sua ordinantur ad certos actus eliciendos, certaque objecta tamquam fines proprios attingenda, necesse est, ut debitam sortiantur proportionem et nativam coaptationem ad actus suos et objecta peculiariora. Ergo propria et specifica potentiarum ratio ac perfectio mensuratur, et desumitur per ordinem ad actus atque objecta; et consequenter ipsa interna differentie propriæ ratio in potentiis hæc vel illa est præcise, quia ipsæ ad hos vel illos actus eliciendos, ad hæc vel illa objecta attingenda suapte natura destinantur. *Potentia*, inquit Angelicus, *secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum. Unde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur; et per consequens oportet, quod ratio potentiæ diversificetur, ut diversificetur ratio actus. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem objecti; omnis enim actio vel est potentiæ activæ, vel passivæ. Objectum autem comparatur ad actum potentiæ passivæ sicut principium et causa movens; color enim, in quantum movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentiæ activæ comparatur objectum ut terminus et finis; sicut augmentativæ virtutis est quantum perfectum, quod est finis augmenti. Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio vel ex*

(1) Vide *Logicam*, num. 283, pag. 970.

(2) Cfr. Suarez, loc. cit., num. 15.

*sine seu termino. Differt enim calefactio ab infrigidatione, secundum quod hæc a calido, scilicet activo, ad calidum, illa autem a frigido ad frigidum procedit. Unde necesse est, quod potentia diversificentur secundum actus et objecta (1).*

**Prob. 2.<sup>o</sup>** per analogiam ad instrumenta artis. «Ars enim imitatur naturam, ut præclare scribit Eximius Doctor; nam quod in arte sunt instrumenta, sunt potentiæ in natura. Unde sicut artifex primo considerat operationem, ad quam ordinat instrumentum, et materiam, circa quam debet cum illo operari, et postea ipsum efficit ex tali materia et forma, qualem requirit finis illius; ita hoc idem intelligendum est de potentiis naturalibus; anima enim, quæ principium erat futura multarum operationum circa varia et diversa objecta, exigebat potentias diversas pro qualitate et modo operationum et objectorum: et ideo natura tales dedit animæ potentias, ut essent talibus actibus et objectis proportionatæ: quod est specificari ab illis. Unde quidquid in eis intrinsece reperitur, absolutum est, sicut quidquid est in instrumento artis, v. g. calamo, est absolutum; attamen quia totum id respicit potentia, ut sit coaptata operationi circa tale objectum, ideo ab objecto dicitur specificari, ejusque essentia consistere in ordine ad illud. Quod idem significavit Philosophus (2), dicens potentiam definiti per actum; ac denique in hoc fundatur illud effatum: *Actus et potentia sunt in eodem genere*, quia scilicet inter se proportionari necesse est» (3).

**Tertia pars:** *potentiæ non specificantur per objecta materialia, sed per formalia.* Et ratio est, quia non potest specificare potentiam id, quod per accidens se habet, sed id, quod per se attingitur, ac respicitur a potentia. Atqui solum objectum formale attingitur, ac respicitur per se a potentia, non vero materiale. Ergo potentiæ non specificantur nisi per formale objectum. **Confirmatur**, quia sæpe unum idemque realiter objectum spectat ad diversas potentias, et vicissim diversa objecta ad eandem potentiam: id quod fieri

nec per  
objecta ma-  
terialia, sed per  
formalia.

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 3. Cfr. *Q. disp.*, quæst. *de Anim.*, art. 13; lib. 2 *de Anim.* lect. 6, paragr. 4; et opus. *de Potentiis Animæ*, cap. 1.

(2) Aristot., lib. 9 *Metaphysicor.*, text. 13.

(3) Suarez, loc. cit., num. 9.

non posset, si quodvis objectum specificaret potentiam. Accedit, quod si quævis diversitas materialis et physica objectorum sufficeret ad specificandam potentiam, tot essent distinguendæ potentia, quot sunt objecta, vel certe species aut genera objectorum. Id autem et per se incredibile est, et contradicit experientia. Ad rem Aquinas: *Considerandum est, quod ea, quæ sunt per accidens, non diversificant speciem. Quia enim coloratum accidit animali, non diversificantur species animalis per differentiam coloris, sed per differentiam ejus, quod per se accidit animali, per differentiam scilicet animæ sensitivæ, quæ quandoque invenitur cum ratione. Unde rationale et irrationale sunt differentia divisivæ animalis, diversas ejus species constituentes. Sic igitur non quæcumque diversitas objectorum diversificat potentias animæ, sed differentia ejus, ad quod per se potentia respicit; sicut sensus per se respicit passibilem qualitatem, quæ per se dividitur in colorem, sonum et hujusmodi; et ideo alia potentia sensitiva est coloris, scilicet visus; et alia soni, scilicet auditus. Sed passibili qualitati aut colorato accidit esse musicum, vel grammaticum, vel magnum et parvum, aut hominem, vel lapidem; et ideo penes hujusmodi differentias potentia animæ non distinguuntur (1).*

Relinquitur ergo, quod specificatio potentiarum non desumenda sit per ordinem ad objecta materialia, sed ad objectum formale. Quid autem sibi vult objectum formale? Est objectum, quod vere ac per se attingitur a potentia, vel secundum eam rationem, secundum quam attingitur, ac terminatur (2). Et quoniam nihil attingitur, nec terminatur a potentia, nisi certo quodam modo eam efficere valeat, ejusmodi peculiaris terminabilitas in re supponenda est, eaque constituit formale objectum specificans potentiam, efficitque ut res vere ac proprie sit, et dicatur *objectum* potentia: qua

(1) S. Thomas, 1 p., quæst. 77. art. 3. Cfr. quæst. de Anim., art. 13.

(2) Si veteres auctores de hisce rebus legas, reperies magnam varietatem in usu vocum *objectum formale* quod, *ratio formalis* quæ, et *sub quâ*. Cfr. *Logica*, num. 260, pag. 920 seqq. Ne confundaris, attende non tam formulas ipsas loquendi, quam rem sub formulis latentem.

enim non habeant terminabilitatem illam propriam alicujus potentia, respectu illius non sunt *objectum* (sicut v. g. colores respectu auditus, vel soni respectu visus, bonum respectu intellectus, verum respectu voluntatis), quia nequeunt illi *objici* vel proponi modo convenienti, ut attingi possint. Et ideo S. Thomas aliquando exprimit objectum formale vocando illud *objectum in quantum est objectum*. *Sciendum est, inquit, quod ex objectis diversis non diversificantur actus et potentia animæ, nisi quando fuerit differentia objectorum, in quantum sunt objecta, id est secundum rationem formalem objecti, sicut visibile ab auditibili. Si autem servetur eadem ratio objecti, quæcumque alia diversitas non inducit diversitatem actuum secundum speciem et potentia. Ejusdem enim potentia est videre hominem coloratum et lapidem coloratum; quia hæc diversitas per accidens se habet in objecto, in quantum est objectum (intellige potentia visiva) (1). Et hoc pacto fieri bene potest, ut plura objecta, non solum specificæ, sed etiam genericæ diversa secundum suam physicam et realem naturam, convenient in una ratione formali, vel in ejusdem rationis terminabilitate seu attingibilitate, et tunc omnia illa unum idemque *logice* objectum formale constituunt, ad quod una dumtaxat potentia vitalis ordinatur. E converso si unum physice ac realiter objectum diversas rationes formales diversasve attingibilitates habeat, multiplex *logice* objectum formale constituet, quod ad totidem potentias spectabit, quot sint diversæ illæ rationes vel attingibilitates (2). Sic omnia prorsus corpora quatenus colorata, cujuscumque generis vel coloris sint, peculiarem quamdam habent terminabilitatem, nempe *visibilitatem*, omniaque attinguntur ab unica potentia visiva, quia omnia sunt sub hac ratione *logice* unum. Idem dic de iisdem corporibus, qua sonoris, etc. Omnia denique entia sive corporea sive spiritualia, sive finita sive infinita, sive specificæ et genericæ convenient, sive discrepent, et quamvis solum analogice convenient secundum realem naturam, tamen habent hanc rationem formalem communem, *intelligibilitatem*, seu talem attingibilitatem, ut*

(1) S. Thom., de Anim., lib. 2, lect. 6, paragr. d.

(2) Cfr. S. Thom., 2.<sup>a</sup> dist. 44, quæst. 2, art. 1.

intentionali representatione aut imagine possint exhiberi modo distincto et altiori, quam exhibeantur per sensus externos; et sub hac ratione constituunt objectum unius universalissimæ potentia, quæ dicitur intellectus. Et e converso entitas intelligibilis vel cognoscibilis in sua physica realitate potest continere bonitatem seu rationem convenientiæ perfectionisve respectu subjecti cognoscentis illud, ac proinde habet alterius rationis terminabilitatem per modum tendentiæ vel ponderis versus illud per appetitum: quare in uno et eodem objecto potest esse multiplex ratio formalis, multas potentias specificans, intellectum, et sensus, atque appetitum rationalem et sensitivum, prout sub una vel sub altera ratione formali objectum sit attingibile. Et sicut in his omnibus exemplis elucet terminabilitas vel attingibilitas activa ex parte objecti, potentiam ad hoc vel illud genus actuum moventis, potest etiam concipi, et est re vera terminabilitas alia passiva in objectis, quæ pati possint certoque modo transformari a potentia: quare omnia illa corpora, quæ possunt *assimilari* ab alio, et in ejus substantiam converti sive *nutriendo* illam et *augendo*, sive aliud simile individuum ejusdem speciei *generando*, conveniunt in hac nova ratione formali, et constituunt iterum unum logicè formale objectum proprium potentia vegetativæ. Simili demum pacto potentia loco-motiva respicit quemcumque terminum locali motu assequendum. Sicque videtur sufficienter declaratum objectum formale specificans potentias, ejusque unitatem vel multiplicitatem.

Et ex his quoque intelligi potest, quæ vel qualis sufficiat unitas actuum ad unam potentiam constituendam, et e converso quanta requiratur diversitas ad diversas inducendas potentias. Nam negari nequit, in quibusdam potentiis unius semper et ejusdem speciei actus deprehendi, v. gr. in nutritiva; in aliis vero dari sæpe multas species, ut accidit intellectu. Nemo enim sanus putaverit necesse esse plures potentias intellectivas (formaliter cognoscitivas) ponere; et nihilominus intellectu eliciuntur plures speciei actus, quales sunt v. gr. certi et opinativi etc.; et similiter voluntas elicere potest innumeras species virtutum et vitiorum, immo vero eidem tribuuntur duo illa genera actuum vel motuum contrariorum,

De unitate  
vel diversitate  
actuum, ad  
inducendam  
unam vel plures  
potentias  
requisita.

prosecutionis et fugæ, amoris et odii atque aversionis. Quænam ergo, inquires, unitas vel diversitas actuum est, quæ potentiam unam vel multiplicem specie faciat? Verum responsio haud ægre redditur ex dictis, nisi vehementer fallor; hæc videlicet regula videtur danda, unitatem vel diversitatem actuum, quæ unam vel diversas postulet potentias, dimittendam et judicandam esse ex unitate vel diversitate formali objecti. Ita actus, qui versantur circa idem formale objectum, quantumvis specificè diversi esse possint, ut evenit in actibus intellectus et voluntatis, non specificant potentiam. Hinc intelligis alia esse aliis objecta formalia latiora et universaliora, quæ respondent potentiis perfectioribus. Nam latius est objectum sensus interni, quam sensuum externorum; et intellectus, quam omnium sensuum: sensus externi habent pro objecto sensibilia particularia, internus autem omne sensibile, at intellectus tamquam objectum adæquatum respicit generatim ens, quamvis mox varii species intellectuum, puta angelici et humani, respiciant tamquam objectum proportionatum et specificativum, certa quædam genera entium. Quod porro universalius objectum respondeat perfectiori potentia vitali, constat tum ex allatis exemplis, tum ratione. Latitudo enim objecti, si sermo sit de potentia pure ac proprie passiva (1), signum est imperfectionis, quia pati passione proprie dicta, imperfectionis est, et ideo plura posse pati majorem arguit imperfectionem: unde materia prima, quæ est pura potentia et imperfectissima inter omnes potentias passivas, est indifferens ad omnes formas, et consequenter ad omnes alterationes et passiones physicas. Secus accidit in potentiis passivis perfectiva passione, simul et activis, quales sunt potentia vitales intentionales: quia pati posse improprie, recipiendo videlicet formam aliquam convenientem absque alterius amissione, ac posse operari et efficere, perfectionis est non modicæ. Et ideo universalitas majorve latitudo hac in parte majorem arguit potentia perfectionem (2). *Potentia superior*, inquit Aquinas, *per se respicit*

(1) Quid sit passio proprie et improprie dicta, vide in *Cosmolog.*, num. 296, pag. 1037, ex S. Thoma, 1.<sup>a</sup> dist. 17, quæst. 2, art. 1, ad 5.<sup>um</sup>

(2) Vide Suarez, loc. cit., num. 12, 13, 17.

universaliorem rationem objecti, quam potentia inferior, quia quanto potentia est superior, tanto ad plura se extendit. Et ideo multa conveniunt in una ratione objecti, quam per se respicit superior potentia; quæ tamen differunt secundum rationes, quas per se respiciunt inferiores potentia. Et inde est, quod diversa objecta pertinent ad diversas inferiores potentias, quæ tamen uni superiori potentia subduntur (1). «Ex quo colligimus, inquit Suarez, id, quod se habet ut objectum formale respectu unius potentia, comparatum ad superiorem, et universaliorem potentiam, habere se materialiter; quia nimirum respicitur ab ipsa potentia sub universali ratione, quæ est quasi forma sui objecti materializans quodammodo rationes omnes, quas sub se continet, ut in appetitu sensitivo, juxta multorum sententiam (de qua tamen infra lib. 9, cap. 4), bonum arduum, et bonum concupiscibile sunt duæ rationes formales objectorum, diversificantibus duas potentias particulares et materiales; tamen illæ rationes comparatæ ad voluntatem habent se materialiter, nam comprehenduntur sub universali ratione boni, quam illa potentia, in suo genere universalissima, respicit ut adæquatam objectum. Verius exemplum cernitur in externis sensibus, quorum formalia objecta materialiter se habent ad formale objectum sensus interni. Esset item hujus rei simile in artificialibus, si imperfectus artifex ad singulas actiones indigeret distinctis instrumentis, perfectior vero posset unico instrumento exequi omnes» (2). Plura de hac re videri possunt apud laudatos superius auctores, quamquam non una est omnium ratio loquendi.

Solvuntur  
difficultates  
in initio propositæ.

49. Jam operosum non est difficultates initio propositas enodare. Ad primum enim respondetur, licet actus sint posteriores potentia in executione et existentia, sunt tamen priores in intentione; quia nempe intuitu talium actuum eliciendorum, tales fabricatæ conformatæque sunt potentia: itemque licet objectum sit extrinsecum potentia, ordo tamen ad objectum est intrinsecus et essentialis eidem. Egregie S. Thomas: *Actus licet sit posterior potentia in esse, est*

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 1, ad 4.<sup>am</sup>

(2) Suarez, ibid., num. 14.

tamen prior in intentione et secundum rationem, sicut finis in agente. Objectum autem licet sit extrinsecum, est tamen principium vel finis actionis (prout actio sit potentia passiva vel activa). Principio autem et fini proportionantur ea, quæ sunt intrinseca rei (1).

Dices hinc sequi potentias ordinari ad operandum circa objecta. Atqui hoc nequit admitti: nam actus secundus potentia est imperfectior illa, inordinatum autem videtur, ut res perfectior naturaliter et intrinsece ad terminum imperfectiorem ordinetur.—Resp. neg. Minor., et rationem additam disting.: nequit res perfectior ad imperfectiorem terminum ordinari in bonum termini imperfectioris, conc.; in bonum ipsius operantis vel rei perfectioris, neg. Non «est inconveniens, inquit Suarez, visum v. g. ordinari ad qualitatem seipso imperfectiorem; non enim ordinatur propter bonum ipsius objecti, sed propter perfectionem viventis et propriam, visus siquidem percipiendo lucem satis perficitur. Hoc ergo modo perfectior res ordinari valet ad imperfectiorem, id est, ad operandum circa illam, in qua operatione ipsa potentia, quæ ordinatur, perficitur» (2).

Ad secundum, dist. Minor. Sunt innumera et diversa materialiter, conc.; formaliter, neg. Resque patet ex dictis.

Ad tertium, neg. conseq., quia potest dici, potentias specificari immediate per actus, et mediate per objecta; vel si mavis, dic ex actu et objecto unum reapse specificativum completum et adæquatam integrari, siquidem potentia finis est attingere objectum mediante tali actu (3).

Ad quartum, solvitur difficultas distinguendo materiale objectum a formali; possunt enim plura materialia objecta continere unam formalem rationem, et hoc pacto unum formale objectum constituere, unamque specificare potentiam. Et e contrario possunt in uno materiali objecto plures inesse rationes formales diversas, quæ diversimode possint movere potentias, quæ proinde per illaspecificabuntur. Id patet ins

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 1, ad 1.<sup>am</sup> Cfr. Suarez, ibid., num. 16.

(2) Suarez, loc. cit., num. 16.

(3) Cfr. Suarez, ibid., num. 17.



primis in ratione veritatis vel intelligibilitatis et bonitatis: patet etiam respectu ipsarum potentiarum cognoscivarum, nam entia corporea possunt movere ad terminandam cognitionem sui repræsentativam, primo per immutationem organicam, vel speciem sensibilem; et hoc pacto cognoscibilia sunt actu organico, et proinde specificant potentiam pariter organicam sensitivam; deinde absque immutatione organica cum sola specie spirituali, sicque cognosci possunt actu inorganico vel spiritali, et specificant intellectum. Denique objecta eadem prout movere possunt solum in præsentia et per speciem directe ab ipsis impressam in organis exterioribus, vel etiam in absentia et per speciem non directe ab ipsis objectis impressam in organo interiori, possunt terminare actus diversos, et specificare potentias sensitivas, vel sensus sive internos sive externos. Diversi autem colores, vel soni, etc., non diversificant actus, saltem quantum requiritur ad diversificandas potentias, quia cum simili modo moveant potentiam, eandem habent terminabilitatem (1).

Ad quantum respondeo non convenire inter Scholasticos, num omnes potentiae idem respicientes objectum formale conveniant specificè, necne. Plures enim, distincta in potentijs ratione potentiae et ratione proprietatis, putant illas, quæ circa idem formale objectum versantur, v. g. visus hominis et leonis, intellectus angeli et hominis, non differre specificè in ratione potentiae, differre autem in ratione proprietatis, seu quatenus sunt proprietates manantes a diversis specificè naturis. Simili quodam modo malleus aureus et ferreus in ratione instrumenti conveniunt, quamvis differant in materia. Hæc est doctrina Alberti M. (2), quem secuti postea sunt Card. Cajetanus de Vio (3), Ferrariensis (4), Cajetanus Thienensis (5), Martinez de Prado (6), et Complutenses Carmelitani (7), aliique. Verum distinctio hæc

(1) Cfr. S. Thom., 1. p., quæst. 77, art. 1, ad 3.<sup>am</sup>

(2) *De Anim.*, lib. 1, cap. penultim.

(3) In 1.<sup>am</sup> part., quæst. 77, art. 3.

(4) *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 94.

(5) *De Anim.*, text. 9.

(6) *De Anim.*, lib. 2, quæst. 15, paragr. 5.

(7) *De Anim.*, disp. 17, quæst. 1, paragr. 5.

alii non placet, ac nominatim Suarez (1), Rubio (2), et Joanni a S. Thoma (3), et alijs (4): tum quia distinctio hæc pure rationis est, siquidem in re potentia animæ essentialiter est proprietas ab ea dimanans, tum quia potentia nequit esse reapse in duplici specie. Ergo potentia, sive visiva sive intellectiva, in quocumque subjecto est in una dumtaxat specie. Quærendum itaque erit, utrum visus hominis et leonis conveniant in specie, aut sint duæ diversæ species visus, et similiter intellectus hominis et angeli. Si conveniunt, difficultas proposita prorsus enervatur, *negata* Minori. si autem specie discrepant, falsa videtur esse nostra doctrina. Tunc enim haberemus potentias specificè diversas, quæ tamen unum idemque objectum formale respicerent: id quod fieri non posset, si specificatio potentiarum ex objecto formali peteretur.

Responderi itaque potest cum Rubio et Joanne a S. Thoma potentiam visivam, et alias similes, esse ejusdem essentialiter speciei in homine et in equo vel leone tum; quia potentiae specificantur ex objecto formali, quod unum idemque est in utroque; tum quia etiamsi quis vellet potentias specificari per ordinem ad naturam, unde dimanant, dici recte potest visum hominis et leonis non dimanare a naturis vel principiis speciei diversis, sed ab eo gradu, qui est communis omnibus animalibus perfecte participantibus istas potentias, sicut in omnibus prorsus animalibus ex gradu communi dimanat potentia tactus, quæ omnibus inest, et in omnibus viventibus potentia nutritiva. Hoc tamen non vetat, quominus, ut scribit Joannes a S. Thoma, in quibusdam animalibus possit dari aliqua varietas accidentalis perfectionis intra eandem potentiam, «ut quod aquila perfectius videat homine, et homo perfectiorem tactum habeat, quam alia animalia, et similiter quod cogitativa in

(1) *De Anim.*, lib. 4, cap. 1, num. 7; et *de Angel.*, lib. 2, cap. 2, num. 17.

(2) *De Anim.*, lib. 2, cap. 3, tract. *de Potentijs anim. in generali*, in appendice post quæst. 8.<sup>am</sup>

(3) *De Anim.*, quæst. 2, artic. 3 fin.

(4) Immo ipsemet Cardinalis Cajetanus eam distinctionem, quam in sensibus admiserat, in intellectibus humano et angelico rejecit in suis commentariis in 1.<sup>am</sup> part., quæst. 79, art. 7.

homine discurret circa singularia, non in bruto; et similia. Et quoad istas accidentales perfectiones illæ potentiæ sunt propriæ diversorum animalium, quia tales perfectiones conveniunt illis potentiis ratione diversorum subjectorum, in quibus sunt, etc.» (1). Quæ sententia probabilior videtur, quamvis Suarez putet sensus hominis et brutorum, tum interiores tum exteriores, specie differre (2). Aliud tamen dicendum est de intellectu hominis et angeli, quia quamvis conveniant in objecto *adæquato*, differunt tamen in objecto *proprio* et *proportionato*, unde petenda specificatio est; nam angelicus intellectus rem spiritualem, ac præcipue propriam essentiam, ut proportionatum objectum sortitur, noster vero rem materialem. Objectum proinde adæquatum intellectus, nempe ens in tota sua latitudine sumptum, considerari potius debet quasi materiale vel genericum, circa quod versari possint plures intellectus specie diversi, ac proinde sub aliqua alia ratione magis determinata magisque formali sumi debet, ut a diversis intellectibus tamquam objectum proprium attingatur, et ita eosdem varie specificabit (3).

**Ad sextum dist.** Major. Res diversæ speciei nequeunt habere idem specificativum eodem modo ac sub eodem respectu, *conc.*, sub diverso, *neg.* Et *Contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam ratio formalis in objecto potentiæ est universalior, quam in objecto habitus et actus, unde fit ut plures actus specie diversi et habitus in eadem potentiâ, et consequenter circa formale objectum hujus, inesse possint, et propterea singuli actus et singuli habitus non respiciunt objectum adæquate ac sub eadem ratione et universalitate, sed singuli sub diversis rationibus, quæ simul sumptæ complent, et integrant totum potentiæ objectum. Præterea potentiæ et habitus solum mediante actu attingunt, actus vero immediate seipsis (4). Illud præterea nota, nos non dicere, quidquid speciem sumit ab objecto, esse potentiam, sed tantum dicimus hic, potentias speciem sumere ab objecto. Etiamsi ergo aliud præterea sit diversum a potentiis,

(1) Joannes a S. Thoma, loc. cit.

(2) Suarez, *de Anim.*, lib. 4, cap. 1, num. 8.

(3) Cfr. Suarez, *de Angelis*, lib. 2, cap. 2, a num. 15.

(4) Cfr. Suarez, *de Anim.*, lib. 2, cap. 1, num. 20.

quod pariter ab objecto specificetur, nempe actus et habitus, re vera non potest officere assertioni nostræ. Nam quamvis actus quoque et habitus specificentur per objecta, constat tamen aliunde horum a potentiis distinctionem; videlicet potentiæ sunt principium actuum, sicut etiam habitus, et permanent etiam, transeuntibus actibus; potentiæ præterea sunt principia connaturalia veræque proprietates animæ, secus habitus. Itaque potentiæ, actus, et habitus, licet in suo quæque genere specificentur per objecta, nihilominus sunt in diversis generibus entitatis: ac proinde objectio non est ad rem.

**Ad septimum neg.** Major, quia proprie nulla potentia est uni dumtaxat contrariorum attingendo addicta, sed utriusque vel potius generi, sub quo contraria continentur; nam contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant. Ad rem Angelicus: *Si potentia aliqua per se respiceret unum contrariorum sicut objectum, oporteret quod contrarium ad aliam potentiam pertineret. Sed potentia animæ non per se respicit propriam rationem contrarii, sed communen rationem utriusque contrariorum; sicut visus non respicit per se rationem albi, sed rationem coloris; et hoc ideo, quia unum contrariorum est quodammodo ratio alterius, cum se habeant sicut perfectum et imperfectum* (1).

Aliæ difficultates videri possunt apud S. Thomam (2) et alios auctores superius laudatos.

### § III.—QUOTUPLEX SIT POTENTIA VITALIS.

50. Exposito principio, unde specificatio et diversitas potentialium desumitur, reliquum est, ut summa earum genera describamus. Quinque genera potentialium vitalium agnoscit communis Scholasticorum sententia cum Aristotele (3) et S. Thoma (4), *vegetativum*, *sensitivum*, *appetitivum*,

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 3, ad 2.<sup>am</sup>

(2) 1 p., quæst. 77, art. 3, *de Anim.*, art. 13.

(3) Aristot., *de Anim.*, lib. 2, cap. 3, text. 27.

(4) 1 p., quæst. 78, art. 13; opusc. *de Potent. animæ*, cap. 13; *Q7. disp.*, quæst. *de Anim.*, art. 13; *de Anim.*, lib. 2, lect. 5 initio, etc.

*loco-motivum et intellectivum.* Quæ divisio ininitur in primis auctoritate innumerorum sapientium virorum, atque etiam inductione, quia nullum est genus potentiarum vitalium, quod sub aliquo istorum quinque non contineatur; hæc vero constituunt vere diversa genera, ut satis constat ex superioribus scriptis. Solum obijciat forte quispiam, potuisse divisionem ad quatuor capita revocari, nempe vegetativum, cognoscitivum, appetitivum et loco-motivum, ita ut cognoscitivum mox subdivideretur in sensitivum et intellectivum, sicut subdividi solet appetitivum. Nihilominus tam manifesta est tantique momenti diversitas potentiarum cognoscitivarum, sensus et intellectus, ut jure merito bina hæc potentiarum genera communis Philosophorum sensus expresse constituenda judicaverit. Nec eadem necessitas distinguendi etiam duos supremos ordines appetituum urgere videtur, quia distinctio hæc appetituum facile subauditur, posito duplici illo ordine potentiarum cognoscitivarum; appetitus enim sequitur cognitionem tamquam complementum et naturale collateralium.

Sed præterea, supposita doctrina de specificatione potentiarum, potest etiam quinquepartita divisio in hunc modum ex Angelicis probari: potentia specificantur per actus et objecta. Jam objectum, ad quod potentia terminantur, triplex excogitari potest, primo proprium corpus animæ ipsi, cujus sunt potentia, conjunctum, secundo aliud magis universale, nempe corpus sensibile non proprium solum, sed etiam extraneum, tertio aliud universalissimum, ens in genere, sive corporeum sive incorporeum. Deinde potentia objectum attingere potest vel actione physica in illo aliquid efficiendo, vel secus. Si objectum attingatur primo modo, attingitur ope potentia *vegetativa*, cujus objectum est solum corpus proprium, quia si vegetatio exerceretur circa corpus alienum, jam non esset actio vitalis, nec proinde immanens. Si vero objectum attingatur sine actione physica in illud exercita, sed tantum per unionem subjecti viventis cum illo, bifariam terminari a potentia vitali potest; primo trahendo illud ad se vel apprehendendo per intentionalem representationem, secundo tendendo versus illud. Ad objectum apprehendendum per intentionalem representationem ordinatur

potentia cognoscitiva, quæ vel est *sensitiva vel intellectiva*, prout representatio sit organica, et habita ex prævia immutatione organi ab objecto proveniente, vel inorganica et spiritualis. Tendunt pariter versus objectum bifariam exerceri potest, vel solum intentionaliter, ita ut vivens se uniat cum objecto per impulsum et inclinationem, id quod spectat ad potentiam *appetitivam*; vel etiam executive, ita ut locali motu se transferat vivens ad objectum distans in seipso possidendum, idque obtinetur per potentiam *loco-motivam*. Nec aliud genus objecti, nec aliud genus actionis circa illud exercita excogitari potest, quod sub aliquo ex istis generibus non contineatur. Ergo quinque tantum sunt genera suprema potentiarum. Lege S. Thomam, cujus loca, quia longiora sunt, hic non exscribuntur (1).

Aliam probationem, ex diversis operationum vitalium generibus petitam, videre poteris apud eundem Angelicum Doctorem (2).

Hæc sunt suprema capita quinque potentiarum vitalium, quarum quædam mox in varias species iterum dividitur, ut vegetale v. g. in nutritivam et generativam, sensitivum in sensus interiores et exteriores, appetitivum in appetitum sensitivum et rationalem. De quibus omnibus accurate suis locis disputandum erit.

Generale discrimen harum potentiarum in modo operandi declarat egregie S. Thomas hisce verbis: *Potentia nutritiva sive vegetabilis agit medianibus qualitatibus activis et passivis, ut calidum, frigidum et hujusmodi. Sensitiva vero seu sensus, licet non indigeat qualitatibus sensibilibus ad sentiendum, indiget tamen organo corporali. Intellectus vero neutro istorum indiget, quia nec qualitatibus, nec per organum corporale aliquid intelligit, sed perficitur in operatione sua absque aliquo organo* (3).

51. Dices 1.<sup>o</sup> Ad id quod est commune omnibus potentis, non debet deputari speciale aliquod genus potentia. Atqui *appellere* convenit cuilibet potentia animæ. Visus enim

Discrimen  
potentiarum  
in modo  
operandi.

Quædam  
objectiones  
solute.

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 78, art. 1; quæst. de Anim., art. 13; et opusc. de Potentiis animæ, cap. 1.

(2) De Anima, lib. 2, lect. 5 initio. Cfr. quæst. de Anim., art. 13.

(3) S. Thom. de Anim., lib. 1, lect. 14, init.

appetit visibile conveniens, et eodem modo quælibet alia potentia desiderat objectum conveniens sibi. Ergo.

Resp. dist. Minor. Appetere appetitu naturali convenit cuilibet potentie, *trans.*; appetitu elicitu, *neg.* Tum *neg.* conseq. Etenim *appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquâ ex natura sua. Unde naturali appetitu quælibet potentia desiderat sibi conveniens. Sed appetitus animalis consequitur formam apprehensam: et ad huiusmodi appetitum requiritur specialis animæ potentia, et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur, prout est in sua natura. Non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem. Unde patet, quod visus appetit naturaliter visibile solum ad suum actum, scilicet ad videndum. Animal autem appetit rem visam per vim appetitivam, non solum ad videndum, sed etiam ad alios usus. Si autem non indigeret anima rebus perceptis a sensu, nisi propter actiones sensuum, scilicet ut eas sentiret; non oporteret appetitivum ponere speciale genus inter potentias animæ, quia sufficeret appetitus naturalis potentiarum (1).*

Dices 2.<sup>o</sup> Principium movens in animalibus est sensus vel intellectus, vel appetitus, docente Philosopho (2). Ergo necesse non est ponere speciale aliquod principium vel potentiam loco-motivam.

Resp. dist. antec. Principium movens, per modum dirigentis et imperantis motum, est sensus, vel intellectus, vel appetitus, *conc.*; per modum exequentis, *neg.* Nam potentia cognoscitiva dirigit, et appetitiva imperat motum, sed ad illum exequendum alia potentia requiritur. Apposite S. Thomas: *Quamvis sensus et appetitus sint principia moventia in animalibus perfectis; non tamen sensus et appetitus, in quantum huiusmodi, sufficiunt ad movendum, nisi superadderetur eis aliqua virtus. Nam in immobilibus animalibus est sensus et appetitus; non tamen habent vim motivam. Hæc autem vis motiva non solum est in appetitu et sensu, ut imperante motum, sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habiles ad obediendum appetitui animæ moventis. Cujus signum est,*

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 78, art. 1, ad 3.<sup>um</sup>

(2) De Anim., lib. 3, text. 48.

quod quando membra remouentur a sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum (1). Verum de his alibi fusions.

Dices 3.<sup>o</sup> Potentie vitales animæ ad altius quoddam genus actionum ordinantur, quam potentie naturales communes omni corpori. Atqui actiones potentie vegetativæ non videntur altioris ordinis, quam actiones naturæ inorganicæ; ordinantur enim ad conservationem individui per nutritionem, et ad perfectam ejusdem quantitatem per augmentationem, et ad productionem alterius individui per generationem: quæ omnes operationes profecto non transcendunt ordinem naturalium operationum. Ergo perperam vegetativum recensetur inter vitalium potentiarum genera.

Respond. dist. Major. Potentie vitales ordinantur ad genus actionum altius sive in reipsa, sive certe in modo quo eliciuntur, quam sint operationes naturales, *conc.*; ad genus actionum altius pæcise in reipsa *neg.* Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq. Verum est, quod etiam in natura inorganica dantur actiones conservantes rem in esse, et augentes, et nova individua producentes vel generantes; sed ejusmodi actiones in natura inorganica procedunt a principio extrinseco, nec proinde sunt immanentes; secus autem in vivente, quod ope vegetativæ potentie se ipsum ab intrinseco per nutritionem conservat, et auget, et aliis individuis ejusdem speciei communicat, apta semina præparando (2).

Alias difficultates solutas vide apud S. Thomam et alios auctores. Cur autem quinque sint genera potentiarum, quamvis gradus vitæ sint solum quatuor, tria vero solum animalium genera, superius explicatum fuit.

#### § IV.—AN ET QUO ORDINE FLUANT AB ANIMA VITALES POTENTIE.

52. Circa originem potentiarum tria quæri possent: primo utrum illæ fluant, vel dimanent ab animæ essentia; secundo, quomodo; tertio, quo ordine. Primum et secundum necesse

Potentie vitales  
fluunt ab  
anima essentia,  
sicut

(1) S. Thom., ibid. ad 4.<sup>um</sup>

(2) Cfr. S. Thom. Qq. disp., quæst. de Anim., art. 13, corp. et ad 14.<sup>um</sup>

proprietates  
dimanant a  
natura,

et quidem  
certo quodam  
ordine:

non est hic speciatim tractare. Cum enim potentia sit naturalis animæ vel viventis proprietates, id quod de ceterorum entium proprietatibus generatim statuitur, ad has quoque potentias extendere oportet, dicendo eas ab animæ essentia dimanare (1), et quidem in genere causæ efficientis eoque pacto, quo proprietates entium a natura dimanare docuimus in *Ontologia* (2). Quod autem tertium attinet, sufficiat nobis breviter doctrinam referre S. Thomæ (3). Cum in operibus Dei ac naturæ nihil sit inordinatum, oportet, ut plures potentia non fluant ab anima, nisi quodam ordine. Triplex porro excogitari potest ordo inter animæ potentias, primus naturæ vel dignitatis ac perfectionis, secundum quem illa, quæ sunt perfectiora, dicuntur priora. Secundus est ordo generationis vel temporis, secundum quem ea dici solent priora, quæ sunt imperfectiora, nam in ente imperfecto, quod successive evolvitur, ac perficitur, quale est v. g. humanum compositum, ab imperfectiori ad perfectius proceditur. Tertius denique ordo statui potest secundum universalitatem objectorum, secundum quam illa potentia prior dici potest, cujus universalis est objectum. Priores isti duo ordines versantur ex S. Thoma inter ea, quorum unum ab alio dependet, tertius etiam esse potest inter ea, quorum neutrum ab alio dependet. Jam secundum primum ordinem potentia intellectiva sunt priores sensitivis, et ambæ vegetativis; at secundum alterum ordinem e converso priores sunt vegetativa sensitivis, et ambæ intellectiva; nam prius existunt in germine animalis et hominis operationes vegetativæ, perque illas organismus paulatim conflatur, et organa ipsa variis actibus producendis apta successive fabricantur. Denique secundum tertium ordinem S. Thomas solum comparat varios sensus inter se, docetque visum priorem esse auditu, quia universalis habet objectum, et auditum olfacto. Verum hæc in eo dumtaxat sensu vera esse puto, quatenus visibile, saltem pro nobis, latius patet, quam audibile, quia videri

(1) Vide S. Thom., 1 p., quest. 77, art. 6; et 1.<sup>a</sup> dist. 3, quest. 4, art. 2, ubi lege quasdam leves difficultates solutas.

(2) A num. 320, et pag. 921 seqq.

(3) 1 p., quest. 77, art. 4 et 7; 1.<sup>a</sup> dist. 3, quest. 4, art. 3.

queunt etiam ea, quæ ob distantiam audiri nequeunt. Similiter spectata universalitate objecti, potentia intellectiva est prior sensitivis, et sensitivæ vegetativis (1).

Et sicut hoc ordine prioritatis fluunt ab anima potentia, ita ipsæ potentia dici possunt quodammodo oriri aliæ ab aliis; nam sicut sunt aliæ aliis priores, ita posteriores cense-ri possunt fluere ab anima, mediantibus prioribus sive per priores, «quod nihil aliud est, inquit Gregorius de Valentia, quam posteriores convenire, et quasi deberi animæ, ut est prædita prioribus» (2). Si ergo spectetur ordo perfectionis, ab intellectu procedere cæteræ potentia dicendæ sunt, quia ad illum tamquam ad finem diriguntur; considerato autem ordine generationis est e converso. Verum lege S. Thomam (3), et Doctorem Eximium, qui fuse ac minutatim de hisce diserit (4).

qui ordo etiam  
considerari  
potest in ipsa  
potentia  
inter se.

#### § V.—QUÆNAM SINT CAUSÆ POTENTIARUM.

53. Reliquum est, ut jam declaremus causas potentiariarum. Causa quadruplex est, efficiens, finalis, materialis et formalis. Et potentiariarum causa formalis nulla est, quia non constant forma et materia, sed ipsæ sunt formæ quædam accidentales, quæ proprio subjecto inhærent. Subjectum autem vel causa materialis potentiariarum varia est pro varia earum natura; nam potentia vel sunt spirituales aut inorganicæ, vel materiales et organicæ: et spiritualium quidem subjectum est sola anima spiritualis, si enim subjectum earum foret totum compositum humanum (in solo quippe homine dantur potentia spirituales), jam esse illarum dependeret etiam a materia, ac proinde desinerent esse spirituales. At subjectum potentiariarum organicarum non potest esse sola anima, sed aut sola materia, aut totum compositum pro varietate sententiarum circa subjectum inhænsionis accidentium materialium, qua de

Causæ  
potentiariarum.

materialis,

(1) Lege S. Thom., 1 p., quest. 77, art. 4.

(2) Valentia, in 1.<sup>am</sup> part., disp. 6, quest. 3, punct. 4. fin.

(3) 1 p., quest. 77, art. 7; et 1.<sup>a</sup> dist. 3, quest. 4, art. 3. Cfr. Lossada, *de Anima*, disp. 4, cap. 5, num. 89 seqq.

(4) *De Anim.*, lib. 3, cap. 3, a num. 14.